1278

DEO OPT. MAX. UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS I. MARTII.
M. ANTONIO LE MOINE, Doctore Medico, Præſide.

An jejunium Quadrageſimæ, ſanitati innoxium?

UNUSQUISQUE ſe ſanum exiſtimat, cum partes omnes ſuo munere, ſuiſque, citra noxam, actionibus funguntur: ſanitas igitur, unicum hujuſce acerbæ vitæ ſolatium & bonorum omnium primum, ea corporis eſt conſtitutio, in quâ, nec doloribus cruciamur, nec in ullis actionibus impedimur; non tamen in illæſo functionum omnium munere & inculpatis actionibus conſiſtit: dormiens alioquin & à ſolitô munere vacans, ſanus rectè dici non poſſet; potius igitur ſanitas ex agendi potentiâ quam ex actionibus definienda. Quanquam opponatur morbo, non ita tamen, ut nihil intercedat: datur medius inter utrumque ſtatus, neuter vulgò dictus, qui prout ad ſanitatem vel morbum magis accedit, convaleſcentiæ vel decidentiæ nuncupatur; Neque ideò tamen ſanitas in indiviſibili quodam punctô ſita eſt, quod ultra citraque, nequeat conſiſtere; amplam habet latitudinem: ſed ne aliqua ſubnaſcatur inde confuſio, duplex ſtatuta, alia quidem ſumma conſummataque; alia minus perfecta, quæ pro varietate temperamentorum & ætatum varia eſt, ſenibus enim, licet citra noxam & incommodum non valeant ſuas functiones obire, ſua ſanitas competit; ut & intemperatis hominibus, qui eò valentiorem & firmiorem obtinent, quò minus à moderatâ temperie recedunt.

UT morbi, ita ſanitatis differentiæ à ſubjectô repetuntur; alia eſt enim ſanitas partium ſimilarium, quæ ex debitâ elementorum convenientiâ & proportione reſultat; organicarum alia, quæ in figurâ, numero, magnitudine, & ſitu ſimilarium conſiſtit. Tertia demùm, quæ ſpectat ad unitatem, utrique partium generi communis eſt. Prout autem partibus iſtis variè inſidet, triplex ſanitatis gradus conſtituitur. Primus eſt εὐεξία ſeu bonus habitus, qualis in quadrato & robuſto corpore, non quem Athletæ requirebant, hic enim ut periculoſus rejicitur: alter qui plurimum cauſis lædentibus obſiſtit, καθ' ἕξιν: tertius qui parum iiſdem renititur, & imperfectè ſua obit munia, κατὰ σχέσιν appellatur. Oritur hæc graduum diverſitas à majore vel minore cauſarum ſanitatem producentium, aut alterantium vi & efficaciâ: illarum autem aliæ ſanitatem efficiunt; aliæ factam, ubi præſens eſt, tuentur; ubi lapſa, reſtituunt. Prima quidem ſanitatis fundamenta, à primis generationis principiis, benè & ſecundùm naturam ſe habentibus, deducta, partibus ſolidis infixa ſunt, conſtituuntque calidum innatum, quod ut cæterarum functionum, ita roboris & ſanitatis eſt primaria cauſa: concurrunt etiam ſpiritus & humores. His, qui continuo diſſipantur, reparandis, ſicque tuendæ ſanitati, deſtinata ſunt alimenta; ſed cùm ea ſit ſanitatis conditio, ut ab iiſdem, à quibus fovetur, alterari queat & deſtrui, cavere maximè debes, ne à tuo victu damnum aliquod pati poſſit. Scopum hunc aſſequeris, ſi convenientia, boni videlicet ſucci, ſubminiſtres alimenta, inde enim optimus, qui totius eſt corporis commune pabulum, vitæ theſaurus, nativique caloris fomentum, ſanguis conficitur. Ne tamen in iſto ſanguine nimium confidas: etiam ab ipſo, licet optimus ſit, grave ſanitati periculum impendet, dum ſcilicet, eâ, quam vaſa complecti, vel vires regere nequeunt, copiâ exuperat: hinc duæ ſummæ & generales morborum cauſæ, plethora videlicet, & cacochymia, quas ut præcaveas, non modo boni ſucci ſed & moderatâ quantitate cibos debes exhibere.

JEjunium (per quod parcimonia victûs intelligitur) naturale eſt, vel Eccleſiaſticum. Naturale, cùm plures occiderit gula, quàm gladius, ejuſmodi mortem inhibet, dum morbos à plenitudine, qui ſolent eſſe graviſſimi, & derepentè ægros tollere, imminentes avertit, & præſentes ſanat: illius ergò finis eſt ſola ſanitas; non ideò tamen temerè quibuſlibet imperandum, ſenes quidem facillimè ferunt, quòd propter caloris paupertatem, paucis fomitibus indigeant; mediæ ætatis poſteà; at non ita de adoleſcentibus, neque de iis quibus alimenti quædam portio in corporis augmentum abſumitur: omnium minimè pueri, & inter iſtos adhuc ægriùs, qui alacriori vividiorique ſunt corpore & animô. Temperamentorum etiam, ut & anni partium habenda eſt ratio; calidis enim ac ſiccis naturis, & æſtate, difficilius. Eccleſiaſticum, abſtinentia eſt à cibis juxta ritus & præcepta Eccleſiæ: tria requirit, qualitatem nempe ciborum, ut ſint pauci nutrimenti; horam comedendi definitam; & unicam in unius diei naturalis ſpatio refectionem; cui tamen cœnulam, ad ſomnum conciliandum, & ad evitandam conſuetudinis mutationem, quod ſine periculo fieri non poteſt, nunc addere licet. Sæpiùs tamen in anno, & quatuor potiſſimùm anni tempeſtatibus præcipitur ab Eccleſiâ: ſed maximè ſolemne eſt, quod circa veris initium obſervatur, à dierum numerô, Quadrageſimale dictum. Licet autem mandetur omnibus, ab eo tamen, præter ætatem primam & ultimam, morbus excuſat; ſed alicujus ſit momenti, & ejus conditionis, ut à victu quadrageſimali foveri poſſit. Neque protinus tibi jejunium ſolvendum eſt, ſtatim ac te læſum ab eo credis, finis enim ipſius eſt carnis afflictio. Diligenter etiam perpendere debes, an morbus de quo conquereris, ab iſtis tribus, vel unâ tantùm, vel alterâ conditione det immunitatem.

QUÆ feriis eſurialibus conceduntur alimenta, vel ea ſunt, quæ tellus tanquam omnium provida parens effundit, fruges, fructus & herbæ: vel inter animalia, piſces. Hi cæteratum animantium reſpectu, frigidiori licet humidiorique temperie donati, longè tamen fœcundiores ſunt; neque putes idcirco minùs longævos, minúſque bonâ valetudine frui: vivaciorum animalium ævum ab ægritudine & qualibet peſte ducunt immunes. An qui ita ſalubriter vivunt, inſalubre nobis præbere poſſe credes alimentum? Id quidem generatim eſt boni ſucci: ſed cùm hominum ſit infinita varietas, ut unicuique conveniens ſuppetat, varium eſt & multiplex: illorum delectum, ſanitati tuæ conſulens, vis habere, non longa Ichthyographorum evolve volumina, ſenſus duntaxat tuos conſule: meliores ſunt, qui teneram, albam, ſubtilem, fragilemque ſubſtantiam obtinent, quàm qui duram, lentam, glutinoſam, & mucoſam; guſtui & olfactui ſuaves, inſuavibus; qui diutiùs ſervantur ſine putredine, quàm citò putreſcentes; & qui craſſiores paucioreſque ſpinas habent, quàm qui tenues & plures. Si hæc tibi non ſufficiant, inquire de loco; præferuntur omnibus ſaxatiles, tum pelagii, littorales deinde: his cedunt aquarum dulcium incolæ, quos inter, repudiatis, qui ex aquis ſtagnantibus, lutoſis, cœnoſis, turbidis, malè olentibus, fluviiſque magnas urbes alluentibus, earumque ſordes excipientibus, capiuntur; elige qui in aquis limpidiſſimis, rapidoque curſu profluentibus victitant. Quin etiam eorum vitia, condimentô & præparatione potes emendare: ſed cave ne muriâ vel fumo deteriores reddas. An verò, quæ tellus in eſcam ſuppeditat, rejicies, cùm nullum pane ſuavius, nullum frequentius, nullum ſalubre magis habeas edulium? At ſub eodem frugum ſeminumque cerealium genere continentur legumina: Ea quidem, cùm coctione, tùm aliorum admixtione caſtigata, bonum etiam & familiare nobis ſufficiunt alimentum. Fructus, depoſitâ, quam recentes habebant, noxâ, probum quoque ſuccum afferunt. Quæ denique veniunt in uſum radices & olera, infinitis penè modis, ut refrigerando, ſomnum inducendo, diſcutiendo flatus, &c. pro diverſis eorum facultatibus, ad ſanitatis tutelam conferunt. Hinc ſi ſua bona norint, felices & fortunati nimium, quibus fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.

NE metuas itaque ex diætâ quadrageſimali morborum ſemina, imò potiùs niſi tunc temporis ciborum detraheres copiam, paucique nutrimenti præberes, metus tibi deberet eſſe, ne, qui cumulantur hyeme, crudi humores, aut à victu præcedente, copioſô & polytrophô coacervata ſanguinis copia, accedente blandô veris tepore, qui non parum ad πολυαιμίαν confert, funderentur, ſicque morbos eos producerent, qui vere, licet ex ſe ſaluberrimo, ſolent oriri. Nec de alterâ morborum parente, cacochymiâ, tibi major ſit metus, unde enim illa ſucreſceret? An ab alimentis, quæ terra ſufficit? Iis ad alendos homines nihil convenientius, ut pote cùm illos ſummus rerum opifex inde veſci juſſerit: quô quidem eduliorum genere, ſecundùm divinum mandatum, uſi, primæ poſt orbem conditum ætatis homines, vitam cum integrâ valetudine diuturnam admodùm protrahebant. An ab aquatilibus? Parciùs quidem alunt, ſed nec deteriorem, quàm carnes ipſæ præbent ſuccum; eædem planè ſunt generis utriuſque differentiæ. Piſcium optimi cum præſtantiſſimis carnibus de ſucci bonitate contendunt, quas forſan ſuperant eâ quam habent ad coctionem facilitate; eorum enim ſubſtantia friabilis & tenera facilè diſſolvi, atque ita à ventriculô ſubigi poteſt; cùm carnium compages arctô fibrarum nexu contexta, non niſi difficiliùs queat domari. Minùs etiam, propter temperamentum frigidius, ad putredinem concipiendam idoneus, inde generatur ſanguis, unde tutò vel in ipſis febribus, ut & in aliis morbis, quòd à ſummis Medicinæ Antiſtitibus ſæpè factitatum, exhiberi poſſunt. Quid ad hæc carnivore? Provocas ad experientiam: habes ex omnibus ſæculis. Vis exempla ſalubritatis piſcium: tibi præbet Galenus, Anthiochi Medici octogenario majoris, & Telephi Grammatici centenarii, quos piſcibus victitaſſe ſcribit. Si vetera non ſufficiant, habes viventia; multos paſſim inviſere potes homines, qui nullum ab ichthyophagiâ perpetuâ ſanitatis damnum patiuntur. Tibi verò, quaſi caveret Eccleſia, ne ab inſolitis cibis lædi poſſes, eô tantùm tempore præſcribit, quô ventres calidiſſimi: calore autem nativô, vegetô & robuſtô exiſtente, ſi quid in vivendi ratione peccatum eſt; faciliùs emendatur, meliùs obeuntur (quæ priùs non parum à frequentioribus ac intempeſtivis comeſſationibus turbabantur) coctiones; excrementa, quæ ab oligotrophis plurima colligi neceſſe eſt, promptiùs digeruntur, expelluntur, & diſſipantur; functiones omnes perfectiùs exercentur, quæ ſunt optimæ ſanitatis notæ, quâ vigente, quid periculi impendet ab ejuſmodi victu, cùm ſanis atque valentibus ſint omnia ſana.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Ergo Quadrageſimæ jejunium ſanitati innoxium.

Aſſerebat Lutetiæ GERMANUS PREAUX, Pariſinus, A. R. S. H. MDCLXXIV.